

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20



SPECIMEN ACADEMICUM
SISTENS NONNULLA

DE
SEXU SEQUIORI

QUOD
DEO TRIUNO PRÆSIDE
CONSENTIENTE

GRAVISSIMO MEDICORUM ORDINE ARGENTORATENSI

PRO LICENTIA
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES

ATQUE
PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE OBTINENDI

SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI
SUBMITTIT

LEO BELTZ,
SULZENSIS ALSATA M. A.

Die 3. Decembris Anno M. DCC. LXXVI.
H. L. Q. C.

ARGENTORATI
Ex Officina JOH. HENRICI HEITZII, Universitatis Typographi.



MARIÆ FRANCISCÆ
KELLER

VIDUÆ

D. FRANCISCI JOSEPHI
D'AHEVILLE

DITIONIS BOLLWILLERANÆ ALIORUMQUE
LOCORUM QUONDAM SATRAPÆ

SACRUM.



neque Jupiter ipse
Sive pluat, sive non, unicuique placet.

LECTORI BENEVOLO.



DICES fortasse, me post HOMERUM, Iliaden conscribere velle, cum materiam pertractandam suscipiam, de qua vix non in omnibus libris medicis sermo fit; recte quidem diceres, si, me nova conscripsisse, gloriarer. Lubenter autem fa-
teor, me nonnisi, sub alia forma, aliorum dicta repetere. Ea namque semper mihi hæsit opinio, quod cujuscunque artis candidatus non sit culpandus, si ea, quæ circa artem suam dicta, & scripta habentur, intelligere, percipere, atque in bonum commune, pro quo quisque bonus totus & solus vivit, colligere valeat. Absit vero, ut, me jam hæc omnia callere, asseverem, cum probe noverim, quam exigua adhuc, in rebus medicis, mihi affulgeat lux: & utinam illud omnes nossent! Spero tamen, me aliquando non inutile societatis membrum futurum esse,

si quid unquam ab improbo labore, & temporis usu expectandum est; sunt enim scientiæ, diligentia & temporis partes, quod præprimis in medicina locum habet. Discant hinc ejus cultores, nullum non intendendum esse nervum, si *dulcissima illa voluptate, quæ ex aliorum felicitate, nostro ministerio promota, ingenuas mentes demulcet, frui velint a*; quodque non sufficiat, summis solummodo labris, uti canes nilum, medicinæ principia degustasse, ut praxin medicam aggredi possint; præcipue, cum scientias, huic arti præmittendas, & adjungendas, se rite absolvisse, publice mentiantur. Miserrima est ejusmodi hominum conditio, si in super immoderatis amicorum encomiis extollantur; tam densa enim ipsis affricatur præjudiciorum nubes, ut tandem inhabiles evadant, concipiendi, se errare posse; hinc non nisi ex tripode, sed quomodocunque, loquuntur. Patet quoque, quod hebetes, & pigri, a sacris nostris, recedere debeant; inde enim, turpis empiricorum secta, originem duxit; & ex duplici hac hominum face, heroës suos usque depromet. Discunt hi homines periculis civium, & experimenta per mortes agentes, animas negotiando, medicinam faciunt.

Meminerit tandem, B. L. me non integrum tractatum de sexu sequiori exhibere; sic enim Speciminis Academici limites certissime transgrederer. Unice hic in chartam conjeci ea, quæ in lucubrationibus meis circa hanc materiem mihi occurrebant, non ergo objiciat, me multa omisisse. Cæterum, qui sane judicant, tyronis viribus indulgebunt, atque errata in bonam partem interpretabuntur. Vale & sive.

a) Vid. Illustr. SPIELMANN *Instit. Chem. in Præfat.*

Incomprehensibilis supremi Entis sapientia universum ita exstruxit, ut nullum in eo emineat punctulum, quod non necessariam ejus existentiam annuntiet; hinc sinceros dari atheos, quis concipiat? desperatissimam esse materialistarum causam, nemo non videt. Sed præpripriis male me habet, medicos, a nonnullis, hujus absurditatis reos argui *b)*; quia nulla philosophiæ pars creatoris existentiam magis clamat, quam Medicina, utpote quæ mirandam sane corporis humani structuram, atque harmoniam rimatur. Præcipue vero ens immensum agnoscimus, dum quantum in nobis est, ad modum, quo propagationi entium prospexit, attendimus: duplicem, hunc in finem creavit sexum, masculum alterum, alterum foemininum. Foemininus infans, puber, foecundus, effoetus, nostri est farrago libelli; habes ergo dicendorum rationem.

Difficillimo omnino defungerer labore, si, quæ in foemina intimis contingunt, perscrutari vellem; hic enim nobis aquam hærerere, quis non fatebitur? Immortalis HALLERI industria quidquid hic in nobis est, absoluisse videtur, nec tamen rem ipsam perspectam habemus; hinc si de qua re desperare liceat, de hac ego desperarem.

Invitata femina aut morali amore, aut cupidine voluptatis, marem admittit, cujus penis in vaginam immissus ad ejus parietes confricatur, quoad semen masculum erumpat & in uterum effundatur c). Clauditur uteri orificium, clauditur & oculis nostris, naturæ mysterium *d)*, quod

A 3

b) Vid. *Recueil des Oeuvres de Mead par M^r. COSTE*, Tom. I. pag. 410. seqq. (i)

c) Vid. HALLER *prim. lin. physiol.* §. 875.

d) Vid. HALE *Elem. phys.* Tom. VIII. Part. I. Lib. XXIX. Sect. I. §. XI. HIPOCRATES *idixit*: Quæ in utero gerunt, harum os uteri clausum est. Sect. V. aph. §. 15.

ideo Deus nobis celare videtur, ne superbiamus. Oritur homo. Hoc nec quadratissimus rusticus ignorat, sed in his vix altius sapiunt medici. Mirum omnino est, quod in re adeo vulgari penitus cæcutiamus.

Quis non obtupefcat? Si attendat, quod homo adultus (ut Illustr. VAN SWIETEN verbis utar) e) *ducentas libras pendens, in prima sua origine in spumantis libidinis guttula latuerit, & quod ex tantilla molecula excreverit tam vastum pondus.*

Licet, uti unus est ager naturæ vegetantis, nempe tellus, ita & unus sit ager naturæ humanæ, nempe uterus; nihilominus eousque procedebat PARACELsus, ut hominem extra hominem, ex solo semine masculino excitare voluerit f). Vanum & impium propositum! cum necdum hodie constet, quid mas, atque fœmina ad novam prolem contribuant, ab utroque tamen, aliquid contribui, extra dubium sit. Addit ineptissimus homo PARACELsus, ejusmodi hominem a peccato originali liberum fore, tenero quidem corpore, sed excelsa mente omnium scientiarum peritum, atque arcanorum, & posse quinta essentia panis nutrirî: fumiventuli hujusce hominis asserta quis non rideat?

Cum homo, quo origini suæ propior est, eo subtilius requirat alimentum, & vice versa; hinc non possumus non adorare creatorem, qui rem ita ordinavit, ut vasa, quæ alimentum a matre ad infantem ducunt, in eo ordine, ratione diametri, crescant, quo novus homo, in utero latens, ab origine sua magis recedit; & ita successive magis solidum nutrimentum accipiat, tandemque, cum in utero amplius nutrirî non possit, e gremio matris egrediatur, hominumque curæ se committat. Ita

e) Vid. ejusd. *Comment. in BOERH. Aph. Tom. I. pag. 18.*

f) Vid. HALL. *Comment. in BOERH. Inst. med. §. 694.*

quidem nonnulli ratiocinantur, & hanc esse causam, cur foetus sinum maternum relinquat, contendunt; sed dicant mihi, cur foetus mortui ex utero egrediantur? Satius mihi videtur, cum HALLERO sentire, qui ita habet *g*): *Varia nunc incommoda in utero ad summum aucta sunt. Distentus a retento sanguine omnes suos n̄culos habet irritatos foetus plenum incrementum nactus uterum indigne distendit ex his causis oriuntur vagi primo uteri irritati ad se vindicandum conatus, & denique, quando summa hæ causæ nunc sunt mater ad partum molendum cogitur tenesmus ergo vexata mater non diutius ferendis, adhibet vim omnem vehementissima inspirationis, qua viscera ini ventris deorsum pressa uterum premunt, dum & uterus contractili vi foetum restrictus urget, qui solus etiam absque nixu matris foetum nonnunquam expellit.* Transit ita nunquam sine dolore, ex densiori & calidiori, in rariis & frigidius medium, unde pulmo collapsus aëre inspirato dilatatur, ut omnem totius corporis sanguinem transmittere, cordique sinistro tradere possit; diaphragma dum agit pectoris cavum auget, hepar deprimit, in ipso hepate humorum motus mutatur; & ita statim, suavia hac mutatione, se hominem esse experitur, clamoribus adventum suum annuntians; quia recens nati ante elapsum primum ætatis mensem vix unquam lacrymas emittunt, hinc non tam flere, quam clamare dicuntur, hos clamores mere animales dicit Clariss. DE BUFFON *h*). Sed en, vix ni lucem prodiit, novus mundi civis, cum in vincula conjicitur, quasi naturam improbare vellet homines; ligant enim, quem eadem solverat, pulvinari extendunt, vi pedes atque manus propriis linteis involvunt, superdato dein toti corpori alio linteo majori,

g) Vid. ejusd. *prim. lin. phys. §. 927.*

h) *Hist. natur. gener. & part. &c. ubi de homine agit.*

integrum apparatus, fascia longiori constringunt, & ita tenellum cuneiformem quasi, mumix adinstar fasciis involutum, cunabulis immittunt, denuo fascia constringunt, & cunabula ruditer movendo soporem artificialem, sed perniciosissimum inducunt. Jacet itaque, manibus pedibusque devinctis, animal cæteris imperaturum, & a vinculis vitam auspiciatur; majori sane cautela cereum quasi recens natorum corpus tractandum est. Perniciosissimus ille fasciarum usus, præter alia incommoda, quæ procreat, viscera abdominalia comprimit, ventriculus igitur nec debitam lactis copiam recipere, nec receptum retinere poterit, unde frequens lactis regurgitatio & vomitus molestus sequi solent; hinc patet pessime agere nostrates mulieres, quæ non raro infantes suos lactant, dum ita fasciis sunt involuti. Optandum omnino esset, ut nos morem gentium, quas barbaras dicimus, imitaremur; quippe quæ infantes suos non ligant, sed liberum ipsis permittunt membrorum exercitium, laudando sane consilio; præterquam enim, quod robustius & sanius, ipsis hoc modo concilietur, corpus, etiam fit, ut tactus organon citius evolvatur, atque puellulus citius instruatur, dum ideas concipit rerum, quas atrectat ludendo. Expergefactus infans sagine pulte farinacea; egregium pro tenello alimentum, quod durissimis aratoris visceribus vix conduceret! Et sane; quid rationi magis contrarium, quam infanti, cujus viscera sunt tenerrima, alimentum exhibere, quod ipsis adultis, nisi fermentatum sit, nonnunquam incommoda creat? Per fermentationem vero farinacea, uti & alia, visceribus chylo & hæmatopoieticis accommodari; chemia atque physiologia docent. Unicum adhuc volo, nimirum pulticularum usu latera intestinorum crusta glutinosa, vernicis instar, obduci, unde nec exhalare poterunt arteriæ, nec resorbere venæ, adeoque ingestis vix mutatis,
&

& indolem suam sequentibus, replebitur cavum intesti-
norum, & abdomen tumebit brevi, dum reliquum corpus
emaciabitur defectu nutrimenti. Circa alimenta infantis,
otium nobis fecit, ad cineres venerandus Præceptor SPIEL-
MANN in propria dissertatione de *optimo infantis recens*
nati alimento, quæ omnino ad hunc numerum conferen-
da est.

S. II.

Emergit non raro, his non obstantibus, e tenera sua
ætate infans; tunc summo ejus bono alia ipsi exhibentur
alimenta *ωπερτα*; confirmatis musculis, pedibus insistere
molitur, tandemque, vel ancillæ manibus innixus, vel
alio quocunque modo adjutus, gressum instituit; unde
quomodocunque adjuvatur digestio, quæ adhuc melius
perficitur, quando ad incidendum, duce aut fulcro non
amplius indiget. Dummodo non nova denuo, tenerimæ
puellæ, incremento obstacula, dira moliretur mater! vix
enim, unum aut alterum lustrum, nata est puella, cum
thorace includitur, quem adeo nonnunquam adstringunt
corpori, ut, dum nescio quid, corrigere, & melius, quam
ipsa natura, efformare volunt inhumanæ matres, atque
filias junceas reddere tentant, necessario multivaria mala
inde metuenda veniant, quæ Clar. GAUB graphice de-
pingit, dum ita habet: *Vestimenta, quæ consuetudo magis,*
quam natura homini necessaria fecit, mole, pondere, adstri-
ctione, quas ambeunt, partes premunt, vasa arctant, at pulsus
humoribus resistunt, contentos repellunt, solidorum fibras in-
ter se compingunt; quæ quidem, si moderata fuerint, sanum
robur, vigorem circuitus vitalis, mutuam continentiam &
contentorum actionem, attritum, calorem naturalem augent,
tegumenta, nervos, fibras, musculos futura juvant, debili-

bus hinc saluberrima (Sc. 2). Simul igitur patet, non horum thoracum usum, sed abusum culpandum esse. Ea autem semper fuit hominum conditio, ut rem quamcunque meliorem reddere velint, & hoc feminis hic contigisse videtur; observarunt fortasse, quod sub primo horum vestimentorum usu, in suas filias, ratione pulchritudinis, quædam bona redundarint, quod nequaquam negari potest; cum vero notum sit, quantum matris in deliciis habeant, filiabus suis stipatæ, in foro splendere, adstantium, & prætereuntium oculos attrahere; cumque una alteri antecellere cupiat, hinc non miror, thoracum abusum fuisse introductum. Quidquid sit, pessimum hunc morem, si alicubi adhuc obtinet, quisque bonus improbat, atque ejusmodi vestimenta, non nisi cautissime adhibenda esse, præcipit. Id adhuc addendum esse dico, nimirum horum thoraum adstrictione, mammaram papillas sæpius ita deprimi, ut loco eminentis papillæ, appareat foveola in mamma, in qua delitescit; impossibilis tum lactatio, nisi educi possit papilla, quod quidem sæpe feliciter obtinetur.

Possent hac occasione, de inhumaniori quadam erga filias actione (infibulationem intelligo) quædam referri; cum vero inter gentes Europæas non obtineat, atque jure nobis horrore sit, hinc B. L. si de ea plura scire cupiat, ad Clariss. DE BUFFON l. c. remittere liceat. Quid inhumanum magis, quam teneræ puellæ pudendi labia consuere, eademque nuptiarum tempore, ut vaginæ aditus pateat, cultro dividere? Sed hæc est infibulatio. In Arabia, Persia, & Africa, filias circumcidi idem testatur auctor, ne nempe nimis excrescant nymphæ, quæ ideo generatio-

2) Vidl. ejusd. *Inst. path.* Nro. 592.

nis negotium impedire possent *k*), hæc quidem operatio suam habet utilitatem, infibulatio vero, nullo alio fundamento, nisi invidia nititur.

S. III.

Crescit interim puella, & quidem eo minus, quo ab origine sua magis recedit *l*), per continuum enim humorum, motum, multa vascula excæcari, & ratio & experientia suadent, hinc vero omnia duriora fieri, nemo inficias ibit, quia corpus eo magis durum est, quo ejus moleculæ, in propiori nexu constitutæ sunt, vasa ergo humoribus pullis usque majorem opponent resistantiam, donec talem acquisiverint rigiditatis gradum, ut vi distendenti, non amplius cedant omnino; ponitur tunc incremento terminus, & dicitur corpus consistere. Incidit hæc ætas consistentiæ, apud mares anno circiter ætatis vigesimo quinto, apud puellas vero decimo quinto, rarissime ultra vigesimum extenditur; cur autem citius consistentant, quam mares, licet ipsæ longe molliori gaudeant habitu, ac proinde & longius incrementum, & ad majorem proceritatem pervenire deberent, videntur menses anno circiter decimo quinto prodeuntes in causa esse *m*). Patet igitur, per tacitam vitæ violentiam, atque per ipsam corporis fabricam, ejusdem incrementum singulis momentis imminui, & ad ineluctabilem interitum disponi; unde jam GALENUS dixit *n*): *Quia naturæ gressum, qui est ad*

B 2

k) Apud nostrates foeminas, nymphas nonnunquam, ita incrementum, ita ultra pudendorum oras propendeant proinde in ambulando, sedendo imo & in concubitu molestiam creare testatur HEISTER vid. ejusd. *Inst. Chirurg.* Tom. II. p. 960.

l) Vid. HALL. *Elem. phys.* Comm. VIII. Part. II. Lib. XXX. p. 25.

m) Vid. HALL. *prim. lin. phys.* §. 955.

n) Apud VAN SWIETEN l. c. Tom. I. p. 69.

siccitatem, effugere non licet, ideo senescimus & corrumpimur.
 Sed ita crescens puella, sensim sine sensu ad miras corporis sui revolutiones ducitur. Accedente enim secundo, aut circiter, annorum septenario, quo eodem tempore semen virile generari incipit, mammae turgidulae fororiari incipiunt, pubescunt pudenda o), & de muliebri sinu sanguis exire videtur. Dum inquisiverunt Medici, unde hic sanguis proveniret, in duas potissimum abierunt sententias; alii nempe eundem ex vagina, alii vero ex fundo uteri derivarunt. Exposita & dilucidata duplici hac opinione, VAN SWIETEN ita habet p): *Videtur ex omnibus his concludi posse, quod locus, unde naturaliter menstrua fluunt, sit uteri cavum interius, & praecipue fundus uteri. Cum autem vagina, & totum in foeminis pudendum assidue fudent ex apertis, ultimis, rectis, arterioliis humorem tenuem, blandum, aquosum, serpsum, & similes, ac uterus ipse, arterias accipiant, videtur admodum credibile, & per horum vasorum extrema dilatata sanguinem exire quandoque, & forte! in gravidis, quibus consuetum est graviditatis tempore fluorem menstruum pati absque noxa, sed minori quantitate, ex vasis vaginae sanguis ille prodit, si enim ex uteri cavo veniret, abortus sequeretur periculum.* Jam si quamcunque ob causam, sanguis per vasa uterina exire non potest, tunc vel in corpore retinetur, atque multivarias in eodem ludit tragœdias, vel aliis in locis sibi exitum quaerit, hinc innumeræ observationes prostant, sanguinem menstruum per diversissima corporis loca exivisse.

De causa hujus profluvii non minus inter se disputarunt saluberrimæ artis doctores; duplex itidem potissimum sententia obtinet nempe alii plethoram universalem,

o) Somojadis foeminis nullam pubem, viris autem barbam brevem esse referunt teste HALL. l. c. Tom. VIII. Part. II. Lib. XXX. p. 40.

p) L. c. Tom. IV. p. 350.

alii vero particularem incusant. Arridet ultima opinio. Oritur scilicet, circa dictum ætatis stadium, quando nimirum extremitates inferiores, in fœtu omnino macilentæ, idem cum reliquis corporis partibus, incrementum susceperunt, peculiaris quædam regurgitatio sanguinis, versus uterum, vasa tunc uteri, majori quantitate sanguinis obruta, evolvuntur, quibus evolutis, ratione peculiaris uteri fabricæ, singulis cordis ictibus, colligitur quædam sanguinis quantitas, sic fit, ut vasa uteri sanguinea, sensim sine sensu, magis ac magis distendantur, ut sanguis ipsamet vasa exhalantia, errore loci, ingrediatur, & eorum orificiis sufficienter hiantibus, tandem effluat; quo facto arteriæ exhalantes, sanguineæ factæ, sensim se contrahendo, iterum ad statum suum rorifluum redeunt, statuto tempore idem iterum expertura; quia circiter idem temporis spatium requiritur, ut eadem sanguinis quantitas, in utero colligatur *g)*. Patet inde, quod hic fluxus, qui a periodo menstruus vocatur, eo copiosior esse, & eo longius durare debeat, quo major sanguinis copia, in utero colligitur, quod hinc copiosior sit in bene pæctis, & plethoricis, quam in macilentis, & viraginitibus, in urbanis, quam in campestribus.

Mirabunda & anxia, hæcce experitur puella, cum mammarum tumescencia, pondere circa pubem, & quadam prurigine, dum pigram se sentit, & gravedinem in renibus percipit, aliquando & dolorem, frequentius oscitat, & totum corpus extendit, ruborem in genis habet, non perseverantem; aliquando & fastidium patitur, atque nauseam; nonnullis teni rigent in cervice musculorum tendines, aliis caput dolet.

B 3

g) In quo consistat peculiaris illa uteri fabrica videri potest in HALL. *prim. lin. phys. §. 857.*

Menstruum hocce tributum, ad annum usque quadagesimum quintum, aut circiter solvet; res incommodi plenissima, quæ, si non bene succedit, adhuc plus periculi habet.

Intervalla hujus excretionis, atque quantitas, pro vario coeli climate, & vitæ genere, varia sunt. Menses signum fœcunditatis esse, inter omnes constat, atque a longo jam retro tempore observatum fuit, ut patet ex sacro codice *r*). Experientia autem, & hic exceptionem obtinere, docuit. Sanguinem menstruum purum & bonum sanguinem esse, nec tyro physiologiæ ignorat, atque jam divus HIPPOCRATES notavit, dum dicit: *Prodit autem sanguis qualis e victima, citoque concrecit, si mulier sana est s*). Hinc quæ nonnulli circa noxias menstruorum qualitates somniant valere jubemus. Eundem vero inquinari, imo mutari posse, nemo non videt; præcipue, si constricto uteri orificio, in cavo collectus retineatur, vel & vaginæ rugis adhæserit semiconcretus, calore loci & aëris accessu facile putrescens, nec non, si indusia & lintea non mutantur; quæ omnia præprimis locum habent apud illas, quæ munditiæ non studiosæ, hanc cloacam negligunt.

§. IV.

Puella in qua dicta phœnomena observantur, pubera dicitur; est autem pubertas illud vitæ humanæ stadium, in quo homo illud acquirit, quod ad sui similis productionem requiritur.

Quemadmodum nec Sexus masculinus, ita nec fœmininus, eidem vitæ generi destinatur. Jam vero, prouti quælibet, vel matrimonium, vel calibatam, vel monaste-

r) Genesis cap. XVIII. v. II.

s) De mulier, morb. Lib. I. cap. IX. CHATTER. Tom. VII. p. 835.

rium, vel literas t), vel bellum, feligit, ita etiam, pro
 diverso harum conditionum selectu, corpus atque ani-
 mam varie exercet, & hinc ad varios morbos idem dispo-
 nit, vel ab iisdem illud immune reddit. Non exigua vero
 flexus Sequioris pars vita nimis sedentaria peccat, hinc
 frequens ille morbus quem chlorosin dicunt, qui corpus
 inertibus & mucosis humoribus replet; innumera non-
 nunquam tædia medico procreat ille morbus, quia ejus
 specificum, corporis nempe exercitium, recusant agroræ.
 Quæ monasterium feligunt, aut alio modo a viris illibata
 vivunt, caveant sibi; nam ut reliqui stimuli (fames, sitis)
 a natura dati inobsequiosos puniunt, ita & veneris absti-
 nentiam. ut natura inimicam, hæc ipsa ulciscitur; . . . fre-
 quenter, ea potissimum, quæ veneris dulcedinem degustarunt,
 quæ nunc privantur, in chlorosin, in hysterica mula. in con-
 vulsionis. in maniam, in furorem uterinum incidunt; . . .
 quarum nisi morum custodia veterit, ea mala pleraque, &
 furor uterinus, & vera mania veneris usu solvantur; . . .
 etiam incitamenta veneris in hysterica femina profunrunt u).
 Hinc stupendas corporis & animi, mutationes in foeminis
 nonnunquam observandas, quas vulgus ad dæmonem re-
 fert, prudens medicus sæpius ab utero sitiente derivat.
 Patet igitur, quod non adest lutum sit, veneris usum mor-
 daciter sibi interdicere. Egregie monuit CÆLIVS: *Concu-
 bitus vero neque nimis concupiscendus, neque nimis pertime-
 scendus, rarus corpus excitat, frequens solvit x)*. Quibus
 præmissis suppono puellæ præ reliquis vitæ conditioni-
 bus, matrimonium arridere, unde ulterior mihi differendi
 occasio nascitur.

t) Sunt tamen & doctæ rarissima turba puella. Vid. P. OVIDI. NASO
 de arte amator. Lib. II.

u) HALL. l. c. Part. I. Lib. XXIX. Sect. I. §. VIII.

x) Lib. 10. cap. 10. p. 21. de concubitu.

Fœminam, a creatore mari fuisse junctam, ut unam carnem efficiant, inter omnes constat. Innumeræ ejusdem vicissitudines, vastissimum poëtis, aliisque differendi campum aperierunt, qui in diversas abierunt sententias; quorum plerique in eo culpandi sunt, quod nimis rigidi censores fuerint; ex eo enim, quod unam aut alteram fœminam culpandam deprehenderint, in omnes zoili fuerunt y). Valet & hic, quod fere ubique valet, saltem in nostro globo terraqueo. Sunt bona mixta malis, & mala mixta bonis. Hinc nec Salamonis sententia ubique vera est, qui teste VENETTE z) asserit, quod, qui uxorem habet, eandemque sibi soli conservare studet, illi comparari debeat, qui ventum inter sua brachia retinere annittitur; habet suas certe sexus fœmininus Penelopes. Insuper aliunde notum est, quam cauti debeamus esse, in condendis propositionibus universalibus, quippe natura non ita facile spiritui systematico se subordinari patitur, plures delet dies, plurimas delebit. Tandem ego auctor essem, fœminis in nonnullis cedendum esse; præterquam enim quod, in corpore debiliore & delicaliore, ingenium flexilius & debilius habeant, quam viri a); habent etiam uterum sexcentorum malorum originem & fontem, qui eadem plurimis calamitatibus obruit, quas non experiuntur viri. Qui Sexum sequiorem, ex hominum numero, excludendum esse volunt, ipsi homines esse non videntur; ego saltem hariolari non possum, unde ipsis hæc idea surrexerit. Caveant sibi hi homines, ne rem habeant cum fœminis; sic enim summi supplicii se reos facerent.

Concupiscentiam

y) De mulierum vitis egregie meruerunt BOILEAU *Satyre X.* & JUVENAL *Satyra IV.*

z) Vid. ejusd. *Tebleau de l'amour conjugal.* Tom. I. chap. VIII. p. 314.

a) De hoc videri possunt: *Lettres interessantes de CLEMENT XIV.* Tom. 2. Lettre XCII. p. 67.

Concupiscentiam introduxit infelix primorum parentum lapsus, qua vix non totius mundi moralis cardo vertitur, ita ut fere idem, ac WEDEL de fermentis scriptum, dici posset: tollas concupiscentiam ex orbe hoc, & rerum ordo universus sustolletur. Evidum & compertum est hodie, illos, qui ex absentia vel praesentia membranae hymen dictae, quamque nonnulli male negant, b) ad laesam vel illaesam virginitatem concluderunt, deceptos fuisse, omniaque alia, quae tanquam virginitatis illaesa indicia laudantur inania esse. Ridendi ergo sunt ii, qui, dum uxorem ducunt nullum non movent lapidem, ut pudenda muliebria examinando, certi evadant, num nullus alius ante ipsos, ad foeminam intraverit: Morum probitas sapientiozem quemlibet in feligenda uxore rectius moratur. Quid non mortalia cogis pectora, invidia! quanti apud nos fiat, rara illa virtus virginitas, c) nemo non novit. Quis hinc credat, quod nonnullis populis maximo odio sit, quodque pessime honori suo consulere se credant, si uxorem ducant, quae non ab alio jam fuerit deflorata d). Sollicitae matres, nuptiarum tempore, rem ita ordinant, ut filiam, non nisi post finitum mensium fluxum, prima vice, novo marito tradant. Sed nescio, num vis aliqua in adnotatione sit, post mensium finem, coitum maxime fecundum esse; res est verissima, etiam mulierculis nota, quae ea periodo coire male metuunt, quoties non est e re earum concipere e) interim per sanguinem menstruum effluentem, genitalia muliebria laxari, nemo

C

b) Vid. HEISTERI *comp. anat.* in notis (30.) p. 78.
 c) Rara avis in terris nigroque simillima cygno. *Juvenal Satyra VI.*
 V. 116.
 d) DE BUFFON l. c.
 e) HALL. l. c. Tom. VIII, Part. I. Lib. XXIX. Sect. I. §. XI. p. 22

negabit; atque videtur, uterum foeminae, per fluxum menstruum sic disponi, ut concipere possit, conceptum retinere retentum alere; dum enim vasa substantiae uterinae sic aperiuntur singulis mensibus, ut crassissimam sanguinis partem, rubram nempe admittere, vel transmittere possint, aptiora redduntur, ut ovi humani tota superficies, cavo uteri applicata emissis propaginibus vasculosis huic uniri, & quasi iradicari possit f). Ad relaxanda genitalia, eundem in finem, choreas, nuptiarum tempore instituendas, a veteribus fuisse, introductas, suspicatur VENETTE g).

§. VI.

Uteri cavum, non constantem & unicum esse conceptionis locum, experientia docuit. Utrum fructuosa fuerit conjugum copula. signa, quae illud edocent, enarrant embriulci. Felicis eventus non levem suspicionem facit, caeteris paribus, catameniorum suppressio. Num foetus in gremio matris latens, amnii liquorem, per os in cibum hauriat disputatur, in partem affirmantem inclinat HALLER h), affirmat HEISTER i), plurima sunt, quae suadent, negant alii; quid sit censendum videat B.L. uti autem plantae soli, in quo inferuntur, referunt salubritatem, vel insalubritatem, pariter foetus bonam vel malam referre solet matris valetudinem. Praegrans, si quae alia, diæteticae regulas observet, moderato corporis exercitio, praecipue leni deambulatione gaudeat, victus tenuis, motus ordinatus, potus levis, admodum profunt k);

f) VAN SWIETEN l. c. Tom. IV. p. 362.

g) l. c. Tom. II. Chap. III. p. 27.

h) Prim. lin. phys. §. 897. p. 527.

i) l. c. in notis (37.) p. 87.

k) BOERHAVE de cognof. & curand. morb. §. 1299.

consuetudinis tamen semper ratio habenda est in gravidarum victu, est enim consuetudo altera natura; ergo non semper pertinaciter oblectandum est, si quædam admōdum desiderent, licet minus salubria viderentur. Unde malacia & picca, quibus non raro corripuntur gravidæ? *tametsi vitium imaginationis subesse possit*, (nam junior fœmina, quia modo noscit, se hominem in utero gerere, nescio cur, toti terrarum orbi se imperare posse credit) *sapissime tamen quæ appetuntur pro remedio sunt* 1). Sed si natura in sui bonum hoc facere tentet; cur toties illud in gravidis non vero & in aliis suscipit, cur tam ridiculo & absurdo quandoque utitur remedio? plurimæ ubique tenebræ. Pertinent & huc maculæ, diversissimæ figuræ, & magnitudinis, quas quandoque in corporis superficie gerunt recens nati, omniaque illa, quæ a matris imaginatione infanti inducta esse dicuntur; de quibus multi multa, omnes aliquid, sed nemo fatis. BLONDELLII quidem dissertatio ostendit, explicari non posse, quomodo illud a matris imaginatione derivandum fit; sed argumentorum ab experientia desumptorum pondus destruere non valet. Præluceant hic philosphi, atque ostendant, quid sit illud ens, quod mentem appellant, demonstrant mechanisum commercii corpus inter & animam; & tum fortasse medicis spes affulgebit, dicta phœnomena explicandi. *Male consulit sanitati & pulchritudini suæ puerpera proli suæ ubera recensans. hinc resuum lac humoribus mistum delicatiora organa petit, non sine magno vitæ periculo; hinc cutis spiracula, lacteo quasi sudore crassiusculo fatigata, & ampliata, fœdis maculis cutem deturpanibus ansam præbent; hinc citius redeuntia menstrua citiori imprægnationi favent; adeoque intra annum duos sæpius partus edit, lactisque reflui pericula*

C 2

1) GAUB. I. c. Nro. 791.

bis proinde subit sana mulier; quæ mammis fetum nutriens, rariorem longe & robustiorem prolem robustior ipsa & formosior conciperet m). Merito ergo reprehenduntur matres, quæ infantem suum alienis admovent uberibus; evidenter quippe naturæ legibus refragantur, sibi & infanti incommoda parant, lac enim si prohibes, furit in mammis turbasque dolorum miscet, & pœnas ingrata a matre reposcit. Plurima prostant observata, lac per metastasin ad caput, pectus, pelvim, femora &c. delatum fuisse, ibique, varias noxas intulisse; illud autem apud lactantes non esse timendum, ex eo patet, quod suctio lac ipsum in mammas evocet; cum vero infans alienis nutriendus uberibus nunquam lac sibi analogum haurit, atque sic dictæ nutrices vix unquam infantibus eam gerunt curam, quam vera mater gerere debet, hinc satis superque patet, quam male amoris sui pignori consulant illæ matres, quæ idem non proprio lacte nutriunt. Præcipue culpandæ sunt, dum infanti illud lac serosum negant, quod primo a partu tempore, in mammis deprehenditur, est enim infanti saluberrimum, utpote lene purgans, quo primæ viæ mucos abstergantur atque mœconii exitus facilitatur.

Pleræque ejusmodi novercæ, licet non fateantur, timent, ne lactationem, mammarum mollities & laxitas sequantur, quæ isthæc pulchritudinis insignia devastent. Quæ sponsi amplexus, & inde subsequencia non deterrent graviditatis incommoda, detertere non debent leviora; licet utique concedendum sit, quod innumeris aliis obruantur calamitatibus, ita ut non male aliquis dixerit, ab illis non esse petendum, quomodo valeant,

m) Vid. dissert. med. chym. de Origine, natura & usu condimento- rum, quam amicus meus optimus D. MEGLIN M. D. Præfide Clariss. ROUGNON P. R. BISVNT, propugnavit. Theorema XXXV. 1775.

sed ubi non doleant *n*). Verum nos quidem homines natura non sumus sapientiores, ac incidit in scyllam qui vult evitare charybdin. Quid non timendum a stagnatione lactis in mammis, quæ quasi extra circulationis territorium sunt collocatæ? An non inde scirrhi, qui, nisi ferro extirpentur, quod tamen rarissime admittunt, in crudele illud malum, quod a figura & gressu cancrum dicunt, degenerant? Præterea copiosior & longior lochiorum fluxus easdem infestat; tandem cum lactationis tempore communiter careant fluxu menstruo, vel longo intervallo, & parca copia tantum eum experiantur; hinc, cum aliis priventur incommodis, lactationem instituire nullæ timere deberent.

S. VII.

Cum variam esse fibrarum rigiditatem in quolibet individuo fœminino, in superioribus probaverimus, & hinc variam cuilibet exinde oriri constitutionem evidens fit, hinc patet 1°. cur una mulier facilius, altera difficilius pariat; variam pelvis conformationem nonnunquam hujus rei causam esse, nec non & fœtum, pluraque alia, notum est. 2°. Cur una mulier citius altera ferius parere desinat. 3°. Cur mulieres eodem tempore concipientes non eodem tempore pariant, sed alia citius, alia tardius. 4°. Cur unius corpus partu magis devastetur, quam alterius. 5°. Cur Juniores cæteris paribus felicius pariant; quippe partus opus est periculi plenissimum, ubi in immentum quandoque distendi, & a se invicem prope divelli partes, necesse est; cum igitur in Juniori-

C 3

n) Clariss. & eloq. ATHALIN Profess. Reg. Bifunt. ex cujus thesibus medicis nonnulla hinc inde decerpsi.

bus omnia adhuc sint flexiliora, hinc minori cum dolore atque periculo res peragetur. Cur una foemina ab hoc quandoque, non vero ab alio imprægnatur? defectum veri ac mutui amoris inculcat HALLERUS, impugnat hanc opinionem LA METTRIE, qui se propria experientia nifum credit o).

Vanitas, quæ non raro in mulieres cadit, cosmetiorum usum apud easdem sustinet, nec non apud quosdam viros, quos ideo foeminas dixeris p). Hinc fuci & odoramenta quæcunque. Utrumque sincere damno, quia illa mulier optime olet, quæ non olet; fuci autem cutim desquamant; deinde odoramenta varie in corpus agere nemo non concedit, unde patet, quanta cum cura, a puerperis arceri debeant illæ mulieres, quæ fragrantibus odoribus adeo non nunquam se inungunt, ut etiam mutatis vestibus, tota cutis illis imbuta maneat; turbant enim adeo quandoque puerperas, ut mox sequantur enormes capitis dolores, deliria, lochiorum suppressio. Accidit non raro, ut & tabaci usum adjungant quædam foeminae, & ita quidem collecta habent omnia ea, quæ ego saltem laudare non possum. Pessime torquent medicum mulierculæ medicinam facientes, quarum quælibet suum habet ab omni ævo probatum remedium, ita ut medicus, ad ægrotum vocatus, cujus curam gerunt, certus esse possit, tot fuisse adhibita remedia, quot mulierculæ lectum circumstrepunt; nullibi autem pejus & pertinacius insaniunt stolidæ anus, quam apud puerperas.

Toto tempore, dum menstrua ordinatim fluunt, foecundæ dicuntur mulieres, illis cessantibus vocantur effoetæ, quia raro vel nunquam post menstruorum cessa-

o) Vid. utriusque comment. in BOERH. *inst. med.* §. 694.
p) Ejusmodi homines stringit *Juvenal Satyra II.*

tionem concipiunt. Inutile tunc, ad ultimum, usque vitæ diem, pondus, seu otiosum, secum gestant, uterum, fidelem tædiorum, malorumque consortem, & naturæ horrorem. Ducitur ita mulier sensim sine sensu ad ineluctabile fatum; nimirum Senilis ingruit rigiditas *q*) qua tota corporis superficies exsiccat, rugisque obducitur, capilli albescunt, dentes excidunt, tota facies deformatur, corpusque incurvatur. Pereunt ergo vires, quæ quando omnes disparuere, homo opprimitur. Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam. Valeant hinc PARACELsus cum suo elixirio & HELMONTIus cum suo Ente cedriño. Mortui hominis cadaver putredini traditur, qua totum decomponitur, atque in nova mixta, composita, decomposita & supra decomposita transit. *Conservatur ita perpetuus ille materia circulus, qua continuo corpora perire, eorum autem in locum nova succrescere videmus, nullam unquam materia atomum annihilari experimur r).*

q) De hac rigiditate ingeniosissime differuit laudatus rougnon in thesi quadam cui titulus: an propter naturam mutatam, vel propter amissum spontaneæ mortalitatis remedium physicum homo nunc mortalitatis?

r) SPIELMANN I. c. p. 349.

T A N T U M.

E R R A T A


p. 5. in nota *d)* lege aph. 51. p. 10. lin. 8. *l.* matres. p. 11. in fine *l.* dixit. p. 12. lin. 19. deleatur! p. 15. lin. 16. *l.* convulsiones, ead. p. lin. 17. *l.* quare. ead. p. lin. 19. *l.* profuerunt, ead. p. lin. 23 *§*, adeo tutum. p. 16. in fine *l.* facerent,



Strasbourg, Med. Diss., 1. Ambodisch-
Beuche

X-241 8820





16

SPECIMEN ACADEMICUM
SISTENS NONNULLA
DE
SEXU SEQUIORI

QUOD
DEO TRIUNO PRÆSIDE
CONSENTIENTE

GRAVISSIMO MEDICORUM ORDINE ARGENTORATENSI

PRO LICENTIA
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES

ATQUE
PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE OBTINENDI

SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI
SUBMITTIT

LEO BELTZ,

SULZENSIS ALSATA M. A.

Die 3. Decembris Anno M. DCC. LXXVI.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI
Ex Officina JOH. HENRICI HEITZII, Universitatis Typographi.